

buerat, quaeque non prius votorum suorum rea facta est, quam ubi medico, omnem coitum post conceptionem interdicenti, quamuis inuita, tamen obtemperabat. Idem nobilem narrat virum duas uxores enecasse, quod, suadente id eo consilio obstetricice, ut partum ipsis redderet faciliorem, versus grauiditatis finem paulo ardentius eas amplexus fuerat. Quod si in causas inquirimus, ob quas illis incommodis obnoxius sit, eas videbimus faciles esse ad inueniendum. Abdomen enim in coitu cum comprimatur, uterus, a foetu iam tumidus, inde non potest non in huius compressionis secietatem venire, atque in vaginam descendere, unde repetitis ictibus a pene, praecipue viri bene armati, versus superiora iterum truditur. Vasa porro uteri, per grauiditatem sanguine turgentia, ex irritatione, ab admisso pene producta, magis sanguine replentur; unde obstrunctiones, inflammationes, scirrus uteri, vel certe spastica uteri contractione, abortus, originem trahent suam *). Quod ultimo nominatum est loco malum, facilis accidet, si coitum mulieres patiuntur primis ultimisque gestationis mensibus, quam si media grauiditate idem fecerint: in illis nimis oui, uterum repletis, cohaesio cum matre aut per exigua aut nimis laxa est. Interim tamen et ad feminae temperamentum respici debet, nisi in diadicanda eiusmodi coitus ratione a vero aberrare velimus. Quae enim lasciva, et valde sensilibus praedita neruis fuerit, multo facilis inde abortui obnoxia erit, quam phlegmatica, quae eo lusu neque multum delectatur, neque magnopere commouetur. Praeter allata denique incommoda, coitum, ultimo grauiditatis tempore celebratum, ad peruersum situm infantis eiusque difficultem exitum facere omnino posse, quilibet facile intelligit.

Medicina grauidarum prophylactica:

Etiam si mater futura neque de grauioribus incommodis conqueratur, neque eius actiones vitales a foetus, utero inclusi, pon-

de-

*) Vid. Diff. medicae select. Pragenses, Vol. I. diff. 15. pag. 237. seq.